

Heinrich Müller Martin Babatius

Quaestiones Theologicae

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774783753>

Druck Freier  Zugang



R U Meut. 1663.


Heinrich Müller, Praes.

Vest. Martin Dabakius, Resp.

R U Meut. 1663.

Heinrich Müller, Praes.

Martin Dabakius, Resp.



I. N. D. N. J. C. A.
QVÆSTIONES
THEOLOGICÆ

Consentiente Collegio Theologico
in Academia Rostochiensis

PRÆSIDE

UNIVERSITATIS RECTORE


D. HENRICO MÜLLERO,

Theol. Prof. Ordinario, Facultatis
suz hodie DECANO, & ad Div. Mariæ
Pastore

ad disputandum publicè exhibitæ

M. MARTINO BABATIO;
Regiom. Prusso,

In Auditorio Majori d. 16. Decembr.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1663.

*R. U. Theol.
1663*

L. N. D. N. L. C. A.
Q. V. A. E. S. T. I. O. N. E. S.
T. H. E. O. L. O. G. I. C. A.

Conferentiae Collegio Theologico
in Academia Rostochensi

PR. A. S. I. D. E.

UNIVERSITATIS ROSTOCHE

D. HENRICO MILLERO.

Theol. Prof. Ordinario, Facultatis
suz hodie DECANO, & ad Div. Mart.
Pastore

ad disputandum publice exhibere

M. MARTINO BABATIO

Regiom. Puffo,

In Auditorio Majori die Decembris



ROSTOCHI

1757. 5. 22

Questio XXIII.

Quomodo DEUS trahat?

§. 1.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, inquit Servator *Joh. VI, 44*. Nullus hic sermo de *tractu* *Enthusiastico*, aut *violento*, sed *ordinato*, & ita comparato, ut & *naturæ* hominum & *negotio* salutis conveniat. *Mediis* enim utitur DEUS in trahendo, *externis* partim, partim *internis*. Curat verbum prædicari, sacramenta dispensari, quibus *mediis* sese insinuans & applicans Spiritus S. intus cor aperit, illuminat, emollit *Act. XVI, 14*. At, *inquis*; multi audiunt verbum, qui non trahuntur. Nostrium vero, mi homo, non est, curiose in singula vel hominum individua, vel temporum momenta inquirere, quare DEUS hos trahat, & non illos, hoc tempore, & non illo. Spiritus, enim, ubi & quando vult spirat. *Joh. III, 8*. Non inepte Augustinus *Tract. XXVI*, in *Joh. Quem DEUS trahat, quem non trahat: quare hunc trahat & quare illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare*. Certe hic *melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia*, ut idem inquit *Serm. XXI de verb. Apost.*

§. 2. Calviniani ad *absolutum* aliquod *reprobationis decretum* hic recurrunt. Sed aliud est *occultum*, aliud *absolutum*: *illud* causam in homine relinquit, quoad genus quidem ex revelato DEI verbo notam, *finalem* scil. *incredulitatem*, quoad singulares vero *circumstantias* ipsamq; *dispensationem* nobis ex parte *occultam*. *Hoc* causam abs homine *removet*, & in solum DEI *beneplacitum* locat, quod partim revelato DEI verbo, partim *divinæ bonitati* contrariatur. *Occulta* DEI *judicia* miranda sunt, non rimanda, tanquam

I

éveze-

ἀνεξαρτήτως καὶ ἀνεξίχνιστοι Rom. XI, 33. Interim manifestum est ex Verbo DEI, non trahi multos, quia trahi nolunt, externo verbi præconio non admisso. Quo admissio ex ordine divini consilii tractus cælestis utiq; secuturus erat.

S. 3. Quod Lutherus dicit, *voluntatem hominis in conversione habere se pure passive*, ad primum conversionis motū, seu ipsam conversionis productionem spectat. Tunc DEUS nolentes omnes trahit, ut eos salutariter volentes faciat, cujus est in nobis operari velle Phil. II, 13. Augustinus ad Bonif. I. I, c. 19. *Non ait Christus, Nemo venit ad me, nisi Pater duxerit eum, ut illic aliquo modo intelligamus, præcedere voluntatem, sed dicit, traxerit. Quis autem trahitur, si jam volebat? Et tamen, nemo venit nisi velit: Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo quæ novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines (quod fieri non potest,) nolentes credant, sed ut volentes ex volentibus fiant. Trahit autem & movet nolentium voluntatem DEUS non ut truncum aut lapidem, verum ita, ut naturam proprios suos motus libere exercere sinat, ut iterum Augustinus loquitur l. VII de Civ. D. c. 30.*

S. 4. Postquam voluntas hominis per Spiritum S. regenerata præbet assensum, volentes DEUS trahit non nolentes, cooperante voluntate renata, non ex se, sed ex DEI gratia I Cor. III, 9. c. IX, 17. II. Cor. VIII, 10. II. Huc spectat illud Chrysothomi; *Trahit DEUS, sed volentem trahit.* Illaque Augustini Tract. XXVI in Joh. *Nolite cogitare, invitum trahitur, trahitur animus & amore. Quomodo voluntate credo, si trabor? Ego dico, parum est voluntate ire, etiam voluptate traberis.* Addit similia, quæ postea ex ipso Lutherus mutuatus est, de *tractu ovis per ramum viridem*, quem ovis natura sua appetit; de *tractu pueri per nuces*, quas & ipse appetit. Ita voluntas hominis regenerati appetitum habet salutarem ad ea, quæ divinitus

mon-

67
monstrantur, & voluntariam sequelam, quam tamen non-
tribuas naturæ, sed gratiæ.

Questio XXIV.

**An Maria, mater Domini, in peccato
originali sit concepta?**

§. I. Negativa adeo arrisit Doctoribus Pontificiis, ut
Lugdunenses eam in officia Ecclesiastica retulerint circa annum
MCXXXVI, quam non modo Bernhardus *Epistola CLXXIV*
ad Canon. Lugd. sed & Scholastici concordibus scriptis confu-
tarunt ante exortum Scotum, quo præeunte, Franciscani
sententiam de immunitate sunt amplexi, eamq; ut indubi-
tatum propugnarunt, obluantibus Dominicanis, & novi-
tatem hujus assertionis respicientibus, auspiciis Thomæ &
Bonaventuræ, uti non diffiteretur Bellarminus *l. IV de amiss.*
grat. c. 17. Fecit religionis obtentus, ut Franciscanorum opi-
nio plerisq; esset acceptior, quam arripuerunt Parisienses,
& post multam disquisitionem probarunt Patres Basileen-
ses *sess. XXXVII An. MCCCCXXXIX.* Neq; sic quievit con-
tentio, fervens adhuc tempore Sixti IV Franciscani, qui *Fes-
tum Conceptionis* confirmavit, & festo corporis Christi æqua-
vit, officium novum sanxit, & varias indulgentias concessit,
An. MCCCCLXXVI. Hujus tamen Papæ auctoritas æstuan-
tes fluctus non composuit, ut patet ex altero diplomate,
quod emisit An. MCCCCLXXXIII. Neq; fuit hic contentio-
num finis, utroq; Monachorum Ordine thesin suam defen-
dente, & quotannis disquisitionē hanc renovante, adeo ut
litem hanc in ipso Concilio Tridentino excitaverint, à quo
emanavit decretorum de peccato originali appendix, qua
controversiam non desinit, ne damnarentur Dominicani,
sed

sed declarat non esse suæ intentionis decreto de peccato originali B. Virginem comprehendere, ut fieret satis Franciscanis. Recrudescenti eidem vulnere post Concilium Tridentinum Pius V medicam manum, renovata Sixti IV constitutione, admovere conatus est: neq; tamen conciliatum est sententiarum divortium.

§. 2. Scriptura à peccati originalis contagione solum Christum excipit *II Cor. V, 21. I Pet. I, 19. c. II, 22. I Job. III, 5. Hebr. VII, 26. 27.* Nam quod Christus non participet culpam primam primorum parentum, in quibus tamen fuit, probatur hoc argumento: *Qui sic fuit in lumbis Adæ, ut legis obligatione non teneretur, sed dominus illius esset, ille non potuit peccare in Adamo, s. legem Adami latam transgredi, adeoq; nec culpæ Adamitiæ particeps fieri. Atqui Filius DEI carnem in plenitudine temporis assumpturus in substantiam suam &c. E. &c. Major declaratur à repugnantibus, quia nemo dicitur legem violare, à qua non obligatur. Minor illustratur à differentia individuali hominis Christi & aliorum individuorum, quæ fuerunt in lumbis Adami. Nam his data est lex cum potestate obligandi, utpote nudis hominibus & meris creaturis; Christus v. est *θεός* & secundum suam Naturam sic fuit in Adamo potentia, ut in plenitudine temporis eam esset actu assumpturus, quæ non per se subsisteret, sed in *λόγῳ*. Hinc ulterius; *Qui non peccavit in Adamo, non meruit nasci ad imaginem Adami. Atqui Christus &c. E. &c. Adde; Quicumq; est conceptus ex Sp. S. in illo non est vitiositas. Christus &c. E. &c. Major declaratur ab oppositis, quia conceptio ex Spiritu S. opponitur im-mundæ conceptioni & tam *συνορίαν* Mariæ cum Viro excludit, quam hyperphysicam peccati à massa illa Mariæ, quam assumpturus erat *ὁ λόγος*, separationem infert. Adde quod Christus non est ab Adamo, ut à persona agente & à vi seminate,**

nante, sed inde tantum traxit materiam, quæ superventu Spiritus Sancti sanctificata est. Nec ab Adamo fluxit persona Christi sed tantum humana ejus natura.

§. 3. B. Virginem Mariam Scriptura nullibi eximit ex numero eorum, qui peccato originali infecti sunt, sed potius includit, docens, carnem esse, quicquid genitum est ex carne *Job. III, 6.* & neminem esse sine peccato *Rom. III, 9. Gal. III, 22. I Job. I, 5. Jacob. III, 2.* Si Maria plane fuit expers peccati, Christus pro ea non venit in mundum *Matt. IX, 13.* nec pro illa mortuus est. *Nunquam leges in divinis auctoritatibus, mortuum esse Christum etiam pro eis, qui nullum habuerunt omnino peccatum, inquit Augustinus l. VI in Julianum c. I. Frustra illa DEUM vocat servatorem suum Luc. I, 47.* Est enim Christus tantum servator eorum, pro quibus se *αιτιολογος* & vadem obtulit; si Christus non est servator Mariæ, neq; illa erit de corpore Christi *Eph. V, 23.* Maximi imprimis ponderis est, quod Mariam mortuam esse ipsi fatentur Pontificii. At mors est stipendium peccati *Rom. VI.*

§. 4. Urgemus insuper consensum Antiquitatis. Hilarius in *Pf. CXIX* docet, Mariam cum aliis transituram per ignem, quo credit cum aliis Veteribus, peccata die judicii debere purgari. Chrysostomus *Homil. XLV in Matth. & XXI in Job.* Mariam incusat *ambitionis & importuna temeritatis.* Gregorius Emissenus *Homil. II de Natal. Dom. ait; A peccati originalis nexu nemo immunis existit, nec ipsa genetrix Redemptoris.* Augustinus asserit, Mariæ corpus venisse ex concupiscentia, quæ fecit in genere humano propaginem mali, *l. V. in Julian. c. 9. conf. l. II de pecc. merit. & remiss. c. 16. lib. Ide Nupt. & concup. c. 12.* Bernhardus *l. c. in novam celebritatem à Lugdunensibus Canonicis introductam hoc elencho invehit; Cum hac ita se habeant, quam jam erit festiva ratio conceptionis? Quo pa-*

Et, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Sp. S. non est, ne dicam, de peccato est: aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quod vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioqui nulla ei ratione placebit contra Ecclesiarum presumta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Conf. Anselmus l. II Cur DEUS homo c. 16. Quos secuti Thomas, Cajetanus, Bonaventura, Durandus, & ingens Scholasticorum agmen, Mariam pertendunt in peccato esse conceptam, quæ sententia adhuc hodie suffraganeos habet insignes ex doctoribus Pontificiis viros.

*S. 5. Bellarminus ferre non potest nostros, cum dicunt, dogma de immaculata conceptione B. Virginis haberi apud Pontificios pro re certa, ac fide Catholica tenenda: Nec tamen & eos ferre potest, qui sententiam de conceptione immaculata rejiciunt ut erroneam. Ipse modo agnoscit Mariam esse redemptam, filiam iræ l. IV de amiss. grat. c. 16. ejus carnem esse carnem peccati *ibid.* modo in contrariam propendit sententiam. Concedit quidem, ipsam in Adamo peccasse, inq; semine vitioso conceptam esse, quam vocat *conceptionem primam*, cum fœtus in utero matris existere incipit, sed, ut ipse vult, informis adhuc ac animæ expers. Negat v. eam in peccatis esse animatam, quam *secundam conceptionem* nominat.*

S. 6. Contra hanc sententiam nos argumentamur I ab absurdo; Si Maria in peccatis non fuit animata, Christus ex parte tantum pro illa erit passus, nempe quatenus particeps facta est culpa Adamitica, & in semine vitioso concepta est. Sed consequens est absurdum. Nam Sanguis JESU CHRISTI mundat nos ab omni, atq; ita etiam ab eo, in quo animamur, peccato I Job. I. E. II à reatu culpæ primæ; Quæcumq; in Adamo peccabit, illa meruit in peccatis non tantum concipi, sed & animari. Atqui Maria,
&c. E.

71

&c. E. &c. Major probatur ex ordine justitiæ & veritatis divi-
næ; sicut enim Adamo legem transgresso debita fuit mors,
ita quoq; Mariæ, in Adamo peccanti, omne peccati meri-
tum debitum fuit. Frustra vero excipit Bellarminus, DEUM
potuisse ex singulari privilegio Mariam à peccato præserva-
re. Nam quod repugnat justitiæ divinæ, id DEUS non potest. At-
qui exemptio alicujus, qui in Adamo peccavit, à merito peccati &c.
E. Si non repugnaret justitiæ divinæ exemptio à peccato &
peccati merito, non fuisset opus incarnatione filii DEI, ut
ab eo nos liberaret, & immundam nostram conceptionem
sanctificaret. Nec ullius hili est, quod excipit Jesuita, Ma-
riam vi meriti Christi liberatam fuisse à peccatis, non qua
commiserat, sed quæ commissura erat, nisi gratia divina
fuisset præventa. Nam vis meriti & sanguinis Christi non
tollit naturalem nostram & vitiosam conceptionem, sic ut
non sit, sed cum jam facta est, purgat eam; Passionis Domi-
nicæ finis non est, ut non nascamur in peccatis, sed ut con-
cepti & nati in peccatis liberemur ab illis.

Quæstio XXV.

Quomodo differant Personæ divinæ
tum ab essentia, tum inter se?

S. I. Ab essentia distinguuntur, non distinctione reali,
quia respectu essentiæ unum dicuntur Job. X, 30. I Job. V, 7.
Dices; in Patre est esse improductum; in Filio & Spiritu S.
productum. Resp. Aliud est habere esse productum; aliud, ha-
bere esse per productionem. Essentia divina non producitur,
communicatur tamen personæ per productionem. Esse
improductum sicut competit DEO, in quantum DEUS est,
ita omnino omnibus personis convenit. At esse personam
impro-

improductam, non est essenziale, sed personale DEI attributum, nec convenit Patri ex vi solius Deitatis, sed ratione proprietatis personalis. *Dices* 2. Idem esse infert idem posse. At Filius & Spiritus S. non habent potentiam generandi. *Resp.* & Potentia productiva ad intra proprie non pertinet ad omnipotentiam DEI, quia non versatur circa ens factibile. Omnipotentia est potentia faciendi; potentia autem generativa est potentia communicandi idem esse increatum, quod non est facere, sed producere. β Aliter Svarefius l. V. de Trinit. *Potentia*, inquit, *generandi est in Filio, quoad esse absolutum, s. quantum ad id, quod habet rationem potentie; non autem prout connotat relationem paternitatis.* De qua responsione quid sentiendū, peculiari D. V. disputatione posthac dicetur.

§. 2. Distinguuntur tamen Personæ ab essentia per distinctionem rationis, non puram illam, vel rationis *ratiocinantis*, sed *eminentem*, rationis *ratiocinate*, quæ fundamentum habet in re, citra ullam etiam mentis operationem, quam *virtualem & eminentiam* vocari à Philosophis, docet Scheiblerus l. I. *Metaph. c. VIII, art. 3.* Adeoq; secundum nostrum concipiendi modum differt essentia à personis, quod illa sit *natura, hæ* (ut ita loquar) *subsistentiæ naturæ, s. subsistendi modi; illa sit non-distributum s. indeterminatum, hæ distributa s. determinata.* Nam quamvis essentia divina sit adæquata tribus personis simul sumtis, latior tamen est, quam unaquæq; earum. Habet enim unaquæq; persona totam divinitatem, sed non totaliter exclusive. *Dices*; si non totaliter. Ergo partialiter. *Resp.* Totali exclusivo non erat opponendum partiale, sed totale inclusivam. Habet utique unaquæq; persona essentiam divinam & totam, & totaliter, sed non totalitate exclusiva, qua à participatione ejusdem essentiæ excludantur ceteræ personæ. Qui ipsi tamen termini hic in rigore vexandi

vexandi non sunt, sed mysterio huic ut cunq; adumbrando sobrie applicandi.

§. 3. *Inter se non distinguuntur Personæ nuda rationis distinctione.* Damascenus *l. I. O. F. c. II.* dicit quidem personas divinitatis non differre τῷ πρῶτῳ, sed τῇ ἐπινοίᾳ. Verum reale & essenziale discrimen Damasceno tantundem significant, ut demonstravi prolixius Theol. Scholast. *c. XIX. §. 327. p. 306.* Hodie, ne quis cum Noëtianis, (de quibus Epiphanius *Tom. I, lib. II Hæres. 57.*) ἐνοσηματικῆν tantum differentiam, constituisse videatur, ab hac locutione tutius abstinet. *Realiter* distinguuntur personæ abs se invicem, sic ut una non prædicetur de altera, cum Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater, vel Spiritus S. Quæ tamen realis distinctio non est *essentialis*, qualis est inter ἄλλο καὶ ἄλλο, cum singulæ personæ unam essentiam divinam totam & integram possideant, nec separari possint, vel ab essentia vel à se invicem; nec *accidental*, quia DEUS est purissimus actus, nullius accidentis capax; sed talis, qualis est inter ἄλλο καὶ ἄλλο, qui τῷ πρῶτῳ ὑπάρξεως vel τῷ εἶναι personali à se invicem distinguuntur.

§. 4. In specie differunt Personæ Trinitatis à se invicem *i secundum ordinem naturalis originis*, quâ ratione Pater est *prima*, Filius *secunda*, Spiritus S. *tertia* persona, *primitate originis*, non ex parte DEI (sic enim in Trinitate nihil prius aut posterius, ut inquit Athanasius in Symbolo) sed nostri conceptus. *1. secundum proprietates & operationes personales*, quæ à Græcis vocantur ἰδιότητες χαρισµατικαὶ, γνώσεικαὶ, διακριτικαὶ, & non sunt communes personis singulis, sed singulares & propriæ. Pater est à seipso, non affirmative, ac si sui principium & seiplo prior sit ac posterior, sed negative & contradistincte ad Filium, quia à nemine factus, creatus, aut generatus est. Filius est quidem ἀγέννητος non factus, nec creatus, at non ἀγέννητος, sed

K

sed

sed à Patre genitus; Spiritus S. ab utroq; ἐκ τῶν δύο μὲν &c. 3. secundum modum habendi potentiam operandi, & agendi ordinem, qui essendi ordinem insequitur. Pater, ut est à seipso, ita operatur à seipso. Filius, ut est à Patre, ita operatur à Patre, per potentiam à Patre communicatam, & Pater operatur per ipsum. *Job. XV, 26. 4. secundum terminos operationum.* Vox è caelo audita *Matth. III, 17.* terminabatur ad personam Patris; incarnatio ad personam Filii *1 Tim. III, 16.* Apparitio sub specie columbæ *Matth. III, 15.* ad personam Spiritus S. Quamvis itaq; opera ad extra sint indivisa s. communia personis singulis respectu principii, ἐνεργείας & διπλοῦσμάτ &c. communis, œconomice tamen & terminative sunt distincta.

Quaestio XXVI.

An Christus dici possit DEUS à seipso?

§. 1. *Seipso* DEUS est Christus, sed non à seipso, quia per genituram habet essentiam sibi à Patre communicatam, scripsi ante octennium in *Theol. Scholast. cap. XXIV §. 382. p. 356.* Nec etiamnum alia mihi mens est. Si tamen quærat abs me ut doctore Scholastico, annon recte intellecta admitti possit hæc locutio; Filius est DEUS à seipso? sub certa limitatione concesserim. *Absolute* loquendo, solus Pater DEUS à seipso est, quia nec essentia, nec personæ respectu est ab alio, tanquam simpliciter ἀναρχος καὶ ἀνάτη &c. *Secundum quid* vero DEUS à seipso quoq; est Filius & Spiritus S. non ratione personæ, sed essentia. Conf. Junius *Animad. in Bellarm. contro. II lib. II.*

§. 2. Ubi tamen non immerito distinxeris inter *rem habitam*, & *modum habendi*. Illam ipsam ἀνθρώπιαν, quæ Patris est, Filius quoq; habet, & istius ratione non minus est DEUS à seipso

à seipso quam Pater; at quatenus eam habet à Patre, non recte dicitur à seipso. Nimirum aliud est, habere essentiam divinam à seipsa existentem, aliud, habere eam à seipso.

§. 3. Non repugnat, personam productam dici esse à se, tum prout à se excludit principium extraneum, s. alterius naturæ; tum, quoad in producente negat omnem causalitatem; (Græci quidem hanc libertatem sibi sumserunt, ut vocem *causa* tribuerent DEO ad intra, sicut videre est apud Nazianzenum *Orat. XXXIX* & Damascenum *l. Ide O. F. c. 8*. At terminum *causa* non adhibent ad dependentiam sed simplicem originem designandam, ut notat Concilium Florentinum: Certe Nazianzenus *Orat. XXXVI*, expresse dicit, divinitatem esse ἀνάκτων, quia Iesū nihil ἀπερὸ βύνης, additq; Filium esse ex Patre ἀπερὸς νεὴ ἀκρίτως,) tum prout habet naturam, quæ producta non est, quamvis ei per productionem sit communicata.

Quæstio XXVII.

Quid de transsubstantiationis dogmate statuendum.

§. 1. Ecclesiæ in primis post Christum natum seculis Doctores, utut maximopere annisi sint verbis Servatoris, queis Eucharistiæ Sacramentum instituit, pressim insisterent, non tamen tam caute loqui potuerunt, quin interdum inconveniēns aliquod verbulum excideret, quod sequiorum temporum non dicam subtilitas, sed vel curiositas, vel imperitia in malam partem traheret. Seculo III Cyprianus Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus *Tr. de Cena domini*, (siquidē hic liber Cypriani est,) sic scribit; *Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus procurat vitam & incrementum*

tum corporibus &c. Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Seculo IV, qui sub Constantio Imperatore claruit Cyrillus Hierosolymitanus catech. IV Mystag. Vinum in sanguinem transmutatum, & sub specie panis dari corpus, sub specie vini sanguinem Christi, scribit. Eodem seculo voce conversionis & mutationis usum reperias Ambrosium Mediolanensem in Italia Episcopum lib. IV de Sacram. c. 4. & libr. de iis, qui inchoantur, cap. IX. Qui tamen non substantialem, qualem Romanensium Purpurati nobis obtrudere satagunt, sed accidentalem intellexerunt mutationem, ut quod ante consecrationem esset communis tantum panis, post eam simul esset & diceretur corpus domini, adeoq; per consecrationem in meliorem quasi statum muratum.

§. 2. Tantum seculo VIII reperti sunt, qui nauseæ præ simplicis ducti proprium verborum institutionis sensum deseruerunt, & ad tropos confugientes docuerunt, quod sicut serpens æneus & panes propositionis fuerunt figure corporis Christi, & sanguis pecudum in V. T. signum sanguinis Christi; ita etiam panis & vinum sint tantum nuda signa absentis corporis & sanguinis. Debuissent cogitare hi homines, Sacramenta DEI altissimi suscipienda esse, non ratione discutienda; veneranda & admiranda, non dijudicanda, aut ad rationis vel sapientiæ humanæ calculum revocanda, ratione in obsequium Christi captiva ducta, & male valere iussis speculationibus extra verbum, absurditatibus & contradictionibus rationis humanæ, ut loquitur Bernhardus Epist. LXXVII.

§. 3. Refutatio hosce Damasceno Monacho accidit, quod dici solet; Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim. Dum enim totus in eo fuit, ut curiositatem eorum, qui modum, quo panis Eucharisticus esset corpus Christi, scrutari aggressi

aggressi erant, retunderet, ipse imprudens modum determinare cepit, vel certe aliis, ut determinarent, occasio fuit. Nam in illo, quem scripsit de Fide Orthodoxa libro IV, c. 14. Panis, inquit, Vinumq; & Aqua (Aquam enim Vino admiscendam communi Græcorum aliorum errore statuit. Justinus Orat. ad Antoninum Pium, Panem, vinum & aquam distribui in S. Cæna expresse affirmat, idq; *μετέωρα* vocitat. Conf. Cyprianus l. III Epist. 2, Ambrosius l. V de Sacram. c. 1.) per invocationem Spiritus S. supernaturaliter *μετεμύενται* in corpus & sanguinem Christi. Damascenum secutus dubio procul seculo XI Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus, qui in *Matth. XXVI* & *Marc. XIII*, ita; *Non dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum, ἀπὸ τοῦ ὅτι ἐνεργεία μετεμύενται, καὶ φαίνονται ἡμῖν ἄρα* &, ineffabili enim operatione transmutatur, quamvis nobis panis videatur. Et rursus; *Τὸ μὲν εἶδος ἄρα καὶ οὐκ οὐλάττει, εἰς δὲνα μὲν ὃ σαρκὸς ἐξ ἀματ* & *μεμυειχίοι*, Formam quidem panis & vini servat (DEUS,) sed in virtutem carnis & sanguinis (ea) transelementat.

S. 4. In Occidentali quoq; Ecclesia sub finem seculi VIII circa tempora Caroli Magni Joh. Mailrosius Scotus, Eri-gena appellatus, Bedæ discipulus, docere cepit, elementa panis & vini esse nuda signa absentis corporis & sanguinis Christi; Quod dogma mox seculo IX tempore Caroli Calvi suum fecit Bertramus, Monachus & Presbyter (ut creditur) Corbejenfis in Gallia, contra quem tamen Paschasius Ratbertus, Abbas Corbejenfis ei coætaneus, pennam strinxit, cujus verba lib. de corp. & sang. dom. in Euchar. c. 1 hæc sunt; *Omnia, quæcumq; voluit Dominus, fecit in caelo & in terra. Et quia voluit, licet figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa veritas ad discipulos; Hæc, inquit, caro mea est, pro mundivita. Et ut mirabilius loquar, non alia plane, quam qua nata est de Maria & passa in cruce, & resurrexit è sepulcro.* S. 5. Se-

S. 5. *Seculo XI* Berengarius Andegavenſis Diaconus errorem de figuris & ſignis longe lateq; diffeminavit, totamq; Galliam eo ipſo die turbam reddidit, Vixit eodem forſitan tempore Theophylactus, qui *comment. in Matt. XXVI* procul dubio ob quosdam non recte ſentientes negat, panem eſſe *in ſubſtantia* corporis Chriſti, cum ſit ipſum corpus Chriſti. Eodem ſeculo Anſelmus Cantuarienſis in Anglia Epicoſopus comm. in *ICor. XI* aſſerit, panem eſſe corpus Chriſti ſubſtantialiter, quod pro redimendis traditur in mortem. *Seculo XII* Bernhardus Abbas Clarevallenſis diſſenſum ſuum à Berengario teſtatur *Serm. de vita Malachia*, cum ait, *ſciolum quendam dixiſſe, in Euchariftia eſſe tantum ſacramentum, & non rem ſacramenti, id eſt, ſolam ſanctificationem, & non corporis veritatem.* Sic, qui eodem tempore vixit Euthymius, comm. in *XXVI Matth.* panem & vinum non ſigna corporis & ſanguinis, ſed ipſum corpus & ſanguinem eſſe, ſcribit.

S. 6. Signa adverſus Berengarium moverunt inter alios Lanfrancus Canthuarienſis, & Guitmundus Avertſano Epicoſopi, & ſeculo ſequenti Algerius Leodicenſis Eccleſiæ primum Scholaſticus, poſt Monachus Cluniacenſis, ſed, quod advertit Venerandus Dn. D. Drejerus *de Transuſt.* nimium declinando in alteram partem peccarunt, modum, quem pia ſimplicitate Eccleſia haecenus ignoraverat, determinantes. Probant id verba Lanfranci; *Panis & vinum inter ſacerandum incomprehenſibiliter & ineffabiliter in ſubſtantiam carnis & ſanguinis commutantur.* Guitmundi; *Nunc contra illos habenda eſt ratio, qui Eccleſia rationibus expugnati, iam quidem negare nequeunt, ſubſtantiam corporis Chriſti tibi in eſſe dominico, panem tamen & vinum per verba ſalvatoris in carnem ejus & ſanguinem verti nequaquam credentes.* Et Algeri; *Quicquid mutatur in aliud, in ali-*

in aliquo desinit esse quod fuerat, s. substantialiter, s. accidentaliter. Sed in pane & vino, cum in Corpus Christi mutantur, accidentia esse non desinunt, sed omnia remanent; ergo panis & vini substantia esse desinit, prouti hæc omnia ex Tom. VI Bibl. Patrum allegavit Dn. D. Drejerus l. c.

§. 7. Habitum est ea ætate contra Berengarium sub Gregorio VII Concilium, in quo coactus est Berengarius dogmati Transsubstantiationis subscribere, conversionem substantialem confiteri, & in hæc verba jurare; *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram & propriam ac vivificam carnem & sanguinem JESU CHRISTI domini nostri; & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de virgine & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris; & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem sacramenti, sed in proprietate natura & veritate substantia. Sicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo, ita me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia!*

§. 8. Substantialem tamen illam conversionem, ut omnino de fide certam, nondum omnes credere tenebantur. Lombardus certe, qui vixit seculo XII, opinionem hanc non ut creditu simpliciter necessariam, sed ut probabilem proponit, quando l. IV dist. II ait; *Quibusdam esse videtur substantialis (conversio) dicentibus, sic substantiam converti in substantiam, ut hæc essentialiter fiat illa. Necdum usu receptum erat hæc ætate barbarum illud Transsubstantiationis vocabulum.*

§. 9. At ineunte seculo XIII Innocentius III Papa Romanus Concilio in Laterano habito primus transsubstantiationis

tionis & nomen & dogma sub anathomate sanxit; *Christi, inquit, corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane & vino in corpus & sanguinem potestate divina, ut habetur Tom. II Concil. p. 159.* Certe ante hoc Concilium transsubstantiationem illam fuisse incognitam docet Scotus in *IV sentent. dist. X, qv. 1.* & eam in prædicto Concilio primùm introductam esse, ingenue fatetur Guilielmus Estius in *IV. sent. dist. XII, §. 6. f. 146.*

§. 10. Ex hoc Concilio dogma Transsubstantiationis ad Doctores Scholasticos transivit. Hinc Thomas, qui post hanc decisionem Innocentii Papæ eodem adhuc seculo floruit, opinionem illam pro hæretica habendam ducit, quæ post consecrationem panis & vini substantiam remanere asserit, *part. III qv. LXXV, art. 2.* Thomæ adstipulantur Antoninus Archiepiscopus Florentinus *p. III sum. tit. XIV c. 4.* Joh. Capreolus *l. eod. Toletus l. II de inst. sac. c. 27.* Quæ cum tamen nondum fecit seculo XIV Joh. Scotus, qui consubstantiationem defendit, qua duæ substantiæ sub iisdem accidentibus ponuntur. *l. IV sent. dist. XI, qv. 3. lit. B.*

§. 11. *Seculo XV* Concilii Lateranensis vestigia legit Constantiense, quod inter Joh. Wiclefi Angli propositiones, quas damnat, primam hanc facit; *Substantia panis materialis & similiter substantia vini materialis manent in sacramento altaris.* Et secundam istam; *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.*

§. 12. Utrumq; hoc imitatum est Concilium seculo superiori habitum Tridenti, cujus Patres docent, prolatis à sacerdote verbis illis, *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis,* substantiam panis & vini plane aboleri, & in substantiam corporis & sanguinis Christi transire, factaq; consecratione non nisi accidentia panis & vini remanere, sub quibus

bus corpus & sanguis domini existant, quamdiu ea existere contingat. Ita enim habent verba *sess. XIII s. III sub Julio III c. 4.* Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, idq; nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus; qua conversio convenienter & proprie à S. Catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata. Conf. *Can. II*, qui ita habet; Si quis dixerit in SS. Eucharistia sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine domini nostri JESU CHRISTI, negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit.

§. 13. Hoc fulmine territum ingens doctorum agmen in eam cessit sententiam, quod vi verborum consecrationis à ministro prolatorum, panis & vinum in verum corpus & sanguinem Christi substantialiter convertantur, remanentibus solis panis & vini accidentibus. Videantur Gregorius de Valentia *l. II de Euch. c. I. art. I* Petrus à Soto in *assert. Cathol. fid. p. 58.* Jacob Payva *Orthodox. explic. lib. VII. Bellarmin. l. III de Euch. c. 18, 19.* Costerus in *Enchirid. c. VIII.* Becanus *Theol. Schol. part. III Tract. II c. 18. & Manual. l. II, c. 3, §. 9.* Egidius Coninck de Sacramentis, *qv. LXXV.* Pistorius in *Hodoget. qv. CCCXXXIV.* Quanta vero circa hoc dogma inter Doctores Pontificios sit dissensio, cui libet, legere licet apud Wilhelmum Holderum in libro, cui titulum fecit; *Mus exenteratus.* Didacum Nugno *Tom. I in Thom. p. 271.* Pesantium, in *Thom. fol. 892.* Estium in *IV sent. dist. II & supplementum Tom. IV Pars I. Cathol. Chamier. c. VII, §. 8.* L §. 14.

§. 14. Hic ortus, hic progressus Transsubstantiationis Papanæ, quæ quot introduxerit in Ecclesiam *βδελύγματι*, quot secum trahat absurditates, dici vix potest. Certe non ad id inventa est, ut præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna verificaret, quia *satis durum est, & derogare videtur immensitati divina potentia, dicere, quod DEUS non possit facere corpus suum esse in sacramento per alium modum, quam per conversionem substantiæ panis in ipsum: & difficillimum est videre, qualiter ipsa conversio aliquid faciat ad hoc, ut corpus Christi sit in sacramento*, prout loquitur, qui vixit seculo XIV, Durandus de S. Portiano, Episcopus Meldensis IV sent. dist. XI, qv. I, art. 14. Sed ut inclusionem fanaticam, circumgestationem pomposam & adorationem idololatricam sacramento extra usum, eò firmiter stabilire, & imprudentioribus persuadere possent, non panem & vinum, sed verum corpus domini circumgestari & adorari. Hinc Tridentini cap. V: *Declarat præterea S. Synodus, pie & religiose admodum in DEI Ecclesiam indutum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile sacramentum singulari ratione ac solennitate celebraretur, utq; in processionibus reverenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur: qui tamen mos recens admodum est, ab Urbano IV seculo XIII demum institutus, Conf. Bellarminus l. IV de Euch. c. 2. Hagerus in collat. Aug. C. & Conc. Trid. art. X, qv. 3. §. 8. Jacobus Reihing im Catholischen Handbuch art. VIII. Ex Transsubstantiatione nata est opinio de permanentia sacramento, quasi in Eucharistia dum consecrantur Symbola, corpus & sanguis cum iisdem perenni unione statim jungatur; Si quis dixerit, inquiunt Tridentini *scilicet III, can. 4. per acta consecratione in admirabili Eucharistie sacramento non esse corpus & sanguinem domini nostri JESU CHRISTI, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post,**

& in

& in hostiis s. particulis consecratis, qua post communionem reservan-
 tur, vel supersunt, non remanere verum corpus domini, anathema
 sit. II de adoratione hostia; Nullus, inquiunt Tridentini c. V.
 dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more
 in Catholica Ecclesia semper recepto patriæ cultum, qui vero DEO de-
 betur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. III de
 communionem sub una. Etenim ne forte sanguis Dominicus
 existens sub accidentibus vini in terram prolaberetur, aut
 barbis Laicorum adhærens indigne tractaretur, successu
 temporis promiscuæ multitudini calix subtractus est. IV
 de sacrificio Missæ, Quia enim per transmutationem fit destru-
 ctio quædam, Eucharistiam proprie dictum sacrificium esse
 homines imperiti docuerunt. Ut taceam hac vice, Trans-
 substantiationem præter litium & futilium quæstionum se-
 minarium fere nihil esse.

§. 15. Destituitur hoc dogma omni Scripturæ funda-
 mento. Quod tam certum est, ut ipsi Adversarii fateri co-
 gantur, transsubstantiationem referendam esse inter ea,
 quæ in Scriptura sola non continentur, nec ex ea sola evi-
 denter deducuntur, Tannerus *comp. relat. colloq. Ratisb. part.*
I, c. 6. Idem ante Tannerum jam facti erant Biel in *san. lect.*
XL Scotus in *IV. disp. II. q. 3.* Petrus de Aliaco, itemq; Cajeta-
 nus in *IV. quæst. 6.* Petrus Aureolus, Joh. Bacconius & alii.
 Franciscus Svarez licet ex verbis Scripturæ id ipsum ad-
 struere totus allaboret, tandem tamen fatetur, hæc omnia
 per se non sufficere ad convincendum intellectum *Tom. III,*
qv. LXXIIX art. I, disp. 58. sect. 7. Et ipse Bellarminus veritate
 convictus fatetur, non omnino esse improbableem, non ex-
 tare locum ullum scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ
 declaratione evidenter cogat transsubstantiationem ad-
 mittere, *l. III de sacr. Euch. c. 23.* Thomas quidem *p. III, qv.*

LXXV, art. 2. ad verba institutionis recurrit, dicitq; hæc Salvatoris verba; *Hoc est corpus meum*, non esse vera, si substantia panis ibi remaneat; nunquam enim substantiam panis esse corpus Christi, sed potius fuisse dicendum, *Hic est corpus meum*. At mirum, quod in illis verbis subsidium sibi quærit, de quorum explicatione nescio quæ prælia inter se miscent. Ipse l. c. qv. LXXVIII, a. s. & cum ipso Bellarminus vult vocula *Hoc* significari substantiam in communi, sine determinata forma, *Hoc, i, e, hoc edulium*. Petrus de Palude, in IV. sentent. dist. 8. qv. 3. ita resolvit; *Hoc, i, e, contentum sub his speciebus*, per species autem intelligit accidentia. Occam IV sent. qv. 6. d. 13. & Petrus de Aliaco IV sent. art. 1. qv. 5. per *Hoc* denotari volunt *solum corpus*. Bonaventura l. IV de sacr. lit. G. & Scotus IV sent. dist. 8. qv. 2. notari volunt *individuum vagum*. Pistorius in *Hodoget. p. 338.* pronomine *Hoc* designari ait *panem, sed transsubstantiatum*. Sed missis his dissensionibus, certe verborum Christi; *Hoc est corpus meum*, veritas salva manet, etiamsi nulla statuatur transsubstantiatio, Veluti enim, cum porrecto loculo, dico, *Accipe, hoc sunt 100 coronati*, non licet inde inferre, loculum esse substantialiter conversum in aurum; sic neq; cum Salvator exhibito pane dicit, *Hoc est corpus meum*, exinde necessario sequitur, panem in corpus transsubstantiatum: Nimirum particula *Hoc* in propositionibus Eucharisticis non est vocula simplex, sed talis, quæ duarum rerum mystice junctarum unionem significat, & organi exhibitivi & rei quam illud exhibet.

§. 16. Nec tantum non habet sibi Transsubstantiatio Papana scripturam suffraganeam, sed & habet adversam. Certe Paulus expresse panem, quem frangimus, *variis* corporis Christi, & poculum benedictionis communionem sanguinis Christi appellat I Cor. x, 15. Hinc argumentum.

22. est

Q. Q. est materia corporis Christi, id non est per transsubstantiationem mutatum in corpus Christi.

Nam cujus substantia mutata est in aliud, id est id ipsum, quod mutatum est, non communicatio ejus. Etenim nihil est communicatio sui ipsius, cum communicatio sit relatio, quæ semper versatur inter duo, v. g. Aqua mutata in vinum non potest dici materia vini, sed est ipsum vinum.

Atqui panis Eucharisticus &c. E. &c.

Deinde idem Apostolus panem consecratum & in usu & post usum S. Coenæ panem vocat, *I Cor. X, 16. c. XI, 26. 27. 28.* Hinc argumentum:

Q. Q. & in ipso usu & post usum Coenæ sine addito panis appellatur, id substantiam panis non deperdidit.

In articulis fidei enim literæ strictè inhærendum, nisi scriptura ipsa aliam acceptionem ostenderit, id quod ipse Bellarminus contra Calvinianos urget *l. 1. de Euch. c. 10.*

Atqui panis Eucharisticus &c. E. &c.

At, inquiunt, Corpus Christi figurate panis appellatur, quia panis fuit ante consecrationem; Eodem modo dixerim, senem esse juvenem, quia juvenis fuit; noctem esse diem, quia diem antecessit: Ad ampliacionem non est dilabendum, facile, nisi evidens sit mutatio, ampliacionis fundamentum. Sed ajunt, *Exod. VII, 12.* Virga Moïsi vocatur virga, etiam postquam mutata erat in serpentem, Nempe, quia hic serpens fuerat virga, At Christi corpus nunquam fuit panis. Hinc depulsi alium tropum comminiscuntur; dicunt, corpus Christi panem appellari, quia videtur esse panis. At cui videtur corpus Christi esse panis? quomodo, quod tegitur accidentibus & obumbratur, ne videatur, videtur? quis sanæ mentis nummos aureos dicat sibi videri erumenam coriaceam, quia teguntur erumena? Sed nec hic finis figurarum. Vo-

lunt enim corpus Christi appellari panem, quia panis est spiritalis & cœlestis. Itaq; Paulum non dixisse, si quis edat panem, sed hunc panem, designato pronomine illo demonstrativo pane divino, & naturæ longe diversæ à pane vulgari, Vid. Bellarminus *l. Ide Euchar. c. 12.* & Stapletonus *Antid. p. 469.* Sed idem Apostolus non tantum vult edi ex hoc pane, verum etiam dicit, panis quem frangimus, absq; pronomine. Adde, quod quando panis sumitur spiritualiter, vel non vel rarò distinguitur à calice, ut fit *b. l.*

§. 17. Nec *Scriptura* solum, sed & *rationi sane & sensuum* *judicio* adversatur dogma transubstantiationis. Non equidem humana ratio principium est fidei, attamen principia cognitionis generalia & ipsi intellectui connata, aut ex evidenti sensuum *judicio* deducta, ex Theologia minime sunt proscribenda. At quam multa ex transubstantiatione sequuntur incommoda, quæ ipsam rationem evertere videntur! ut 1. corpus & sanguinem domini quæ præexistunt & esse suum habent, per consecrationem incipere, s. ex pane & vino de novo fieri. Nam id, in quod aliquid substantialiter convertitur, de novo producit. 2. sensus etiam recte dispositos circa objectum proprium errare. Certe errat qui, cum caro obijcitur oculis, panem se videre affirmat. 3. accidentia esse actu absq; substantia, ceu subjecto. Nam quantitas, color, sapor, odor, humiditas & c. panis & vini, aut per se subsistunt, aut insunt corpori & sanguini Christi, aut accidentibus post consecrationem residuis. Non primò, quia accidens est à φ' εἶδος, ut docet Aristoteles *lib. V Metaph.* Non secundum, quia exinde sequeretur, corpus Christi posse dici rotundum, album &c. Non tertium, quia accidentia originaliter substantiæ accident, non accidenti. Non est, quod regerat Scotus *IV sent. dist. 12. qb. 2. communia*

nia accidentia sine subjecto esse posse; aut Molina *disp. LIII*
de lib. arb. q. 14. art. 13. per omnipotentiam DEI fieri posse,
 ut accidens sit absq; subjecto. Nam simpliciter fieri non
 potest, ut accidens subsistat absq; subjecto, quia implicat,
 esse accidens & non inesse. Quicquid subsistit, nec ta-
 men in alio subsistit, est substantia. Formalis ratio acci-
 dentis consistit in dependentia à subjecto, docente Philo-
 soph. *l. Categ. c. II, text. 2.* unde falsum est, quod disputat Bel-
 larminus *l. III de Euch. c. 24.* inhaerentiam in subjecto non esse
 de essentia accidentis. Neq; etiam moramur Thomam,
 qui in *IV sent. dist. 12. qv. 1. art. 1.* statuit, subjectum horum ac-
 cidentium esse quantitatem immediate sine subjecto sub-
 sistentem. Cum quantitas ipsa sit accidens, negat Biel ul-
 lam post factam transsubstantiationem remanere quantita-
 tem, eò quod quantitas à substantia quanta realiter non
 distinguatur *l. IV sent. qv. 1. art. V, dist. 12. suppos. 3.* & cum ipso
 Egidius Romanus *l. V Metaph. c. 15. qv. 2.* Sed posito, quod
 sublata substantia, qualitas consistat in quantitate, quodnam
 hic dabitur dimensionis correlatum? Aut illa quantitas di-
 metietur corpus & sanguinem Christi, aut panem & vi-
 num. Non prius, ipso etiam Bellarmino asserente; nec
 posterius, quia quæ non sunt, dimensionem pati nequeunt:
 at panis & vinum per transsubstantiationem jam esse desie-
 runt. 4. Accidentia nutrire, Nam qui sacra illa symbola par-
 ticipant, sentiunt in seipsis vim panis ac vini, teste experi-
 entia. Imo *nutriunt*, inquit Greg. de Valentia in *exam.*
contr. Bezam. p. 65. Crediderim, si fidem fecerit suo exemplo,
 nutritus per menses aliquot meris accidentibus. Ast *nutri-*
unt, ait Bellarminus *l. c. c. 33.* sed divino miraculo, & si in-
 magna sumantur copia; ridicule sane! Si miraculo, quid
 opus magna copia? 5. Ex accidentibus nasci vermes. Dispu-
 tant

tant ipsi enim transubstantiatores, undenam illi vermes, qui hostiis diu asservatis innascuntur, & quid tum fiat de corpore Christi. Vid. Conimbricenses *l. I Phys. c. V, art. 3. §. 3. 6.* accidentia in cineres redigi, quandoquidem memoriae prodidit Hesychius *l. II in Lev.* in veteri Ecclesia peracta Eucharistiae celebratione panis consecrati reliquias igne cremari solitas fuisse, ne videlicet usui sacro destinatus panis ad communem rediret. 7. accidentia veneno infici, siquidem compertum est, Henricum Luzelburgicum Imperatorem Eucharistia veneno illita enecatam esse, ut habet Platina *in Clemente V.* 8. corpus Christi posse pedibus conculcari, à mure aut porco devorari, evomi dum hostia evomitur; sanguinem Christi posse inebriare ac putrescere, & quæ sunt innumera alia congesta maximam partem à Sadeele *de sacr. mand. c. III, arg. 6. 7. 8.*

§. 18. Antiquitatis venerandæ, quam alias semper in ore habent Adversarii, hic quoq; destituuntur calculo. Ignatius Episcopus Antiochenus & Martyr, qui sub finem *seculi I* vixit, cum de Eucharistia loquens *Epist. ad Philadelphenses* scribit; Εἰς ἄγρ. τοῖς πᾶσι ἐδούθη; καὶ ἐν τῆσιν τοῖς ὄλοις διενεμήθη, certe post consecrationem verum adhuc agnoscit panem. *Seculo II* Irenæus, Lugdunensis in Gallia Episcopus *l. IV, c. 34.* scribit; *Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens (non, ut quidam legunt vocationem, sed) invocationem DEI jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrena & cælesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* *Seculo III* Tertullianus Carthaginensis Presbyter *lib. de Orat. c. VI* inquit. *Panis est sermo DEI vivi, qui descendit de cælis; tum quod est corpus ejus in pane censetur: Hoc est corpus meum.* *Conf. l. de Anim. c. XVII.* Vixit eodem *seculo* Origenes, Clementis discipulus,

scipulus, qui *Homil. V* in diversos Evangelii locos, historiam de puero ægroto Centurionis apud *Matth. c. IX* tractans scribit; *Quando sanctum cibum illudq̄, incorruptum accipis epulum, quando vite pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem domini, tum dominus sub teetum tuum ingreditur.* Ex seculo *IV* habemus Ambrosium Mediolanensem Episcopum, qui *libr. IV de sacr. c. 4.* explicans vim benedictionis in sacramento scribit; *Panis est in altari usitatus ante verba sacramentorum, ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi?* Hieronymum; presbyterum Antiochenum *Epist. ad Hedebiam, qv. II.* Nos audiamus, *panem, quem fregit dominus, deditq̄, discipulis, esse corpus domini Salvatoris.* Cyrillum, Hierosolymitanum Episcopum *Catech. Mystag. IV.* *Ne ergo consideres tanquam panem nudum & vinum nudum: corpus enim est, & sanguis Christi.* Seculo *V* eandem doctrinam propoluit Augustinus Hipponensis Episcopus *l. III de Trinit. c. 4.* *Corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantum quod ex fructibus terra (ex frumento & vite) acceptum & prece mystica consecratum rite sumimus, ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis (peractæ) dominicæ passionis.* Floruit eodem seculo Theodoretus Cyri Episcopus, qui adversus transubstantiationis articulum fortiter militat, *dial. II, c. 24.* inquit, *per sanctificationem panis & viti dicitur esse corpus Christi, non quod panis ipse convertatur in corpus, sed quod panis ipse sit corpus Christi.* Quam male ob id habitus sit à cohorte, rafa Pater optimus, dici vix potest. Valentianus notatum eum de aliis etiam erroribus in Concilio Ephesino dicit; Acerbissime in virum sanctum invehuntur Guilielmus Alanus & Sainctes; nec defuere, quicquid, quæ transubstantiationi obstabant, paginas reliquo corpori erasas igne perderent, ut refert Juellus Sarisburiensis Episcopus. Theodo-

retò suffragatur Gelasius Episcopus Romanus, qui in *libro adversus Eutychen & Nestorium*, Certe, inquit, sacramenta que sumimus corporis & sanguinis Christi divina res est, propter quod & per eadem divina consortes reddimur naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini. Non moramur, utrum Gelasius hæc tanquam Papa dixerit, an tanquam privatus, de quo operose disputat Gregorius de Valentia; sufficit nobis, ipsum Romanæ Ecclesiæ Præsulem ab Ecclesia Romana nobiscum damnari.

§. 19. Nec est, quod opponant nobis Adversarii, Patres sæpius usos terminis μεταβλήσεως, μεταπίψεως, conversionis, commutationis &c. Intellexere enim mutationem non substantialem, sed accidentalem, quod monstrat declaratio data à similibus, v. g. aqua in baptismo, divinæ & humanæ naturæ in Christo unione, hominis veteris in novum mutatione &c. Si vero nonnullibi plusquam magnifice de mutatione loquuntur, sunt hæc devotæ quidem, & ad excutiendum rei tam sacræ contemptum peridoneæ, excessivæ tamen formulæ Rhetorice positæ, quas nec ipsi Pontificii omnes ἑψηφισμένοι admittunt. Nec statuunt transmutationem Patres ratione absolutæ essentiæ panis & vini, sed relatæ, quoad usus vulgaris in usum mysticum mutationem. Conf. D. Höffnerus de *Cæn. Dom. Sect. I, art. I, cap. 4. apb. 1. per tot.*

§. 20. Destituuntur tandem transsubstantiatores saniorum Pontificiorum suffragio. Erasmus in *not. ad I Cor. VII* scribit; in Synaxi transsubstantiationem sero definiit Ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato, sive quocumque modo adesse verum Christi corpus. Et Cassander in *consult. ad Maximil. II de transsubst.* aperte fatetur, transsubstantiationem & nomine & re novam esse, tutius esse Patrum & verbis & sententiis stare. Frustra autem sunt Romanenses, dum nobis partum hunc

91

hunc sat monstruosum per Conventus Tridentini anathematismos veluti invitis supponere conantur. De conventiculo enim Tridentino quid statuendum neminem nostrum later, ubi numerabantur, non suis momentis ponderabantur sententiæ, ubi nullis disputationibus libertas relinquebatur, excludebantur confessu Episcopi omnes vel verbulo contra mutire ausi, regnabant qui conducti erant ad calculum secundum Papæ voluntatem ferendum, & solum suum placet ingeminabant ad decreta Romæ missa, velut statuæ Dedaleæ, vel utres, rusticorum instrumentum musicum, quos, ut vocem mittant, inflari necesse est. Nam Tridenti ab Episcopis decreta nulla fiebant, Romæ responsa tanquam Dodona expectabantur. Scilicet illinc Spiritus S. inclusus tabellarii manticis apportabatur.

Questio XXVIII.

An vi verborum Pauli Rom. XIII. I.

Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta
esto, etiam clerus subfit Magistratui Politico
in civilibus?

§. 1. Frequentius nihil est, quam per *Synecdochen* quandam pro toto homine partem alteram hominis, *carnem* interdum, interdum *animam* usurpare. Certe quia carni immerfa est anima nostra, & ad carnalis vitæ cupiditates per se prorsus abjecta, merito interdum totus homo *carnis* vocabulo dehonoreretur, & utiliter admonetur, quanta calamitate sua contigerit, ut mens ipsa, scintilla lucis æternæ, ad foedissimas libidines incurvata, brutorum prope sordes cum summo naturæ suæ dedecore referre videatur. Et

M 2

tamen

tamen ne animæ suæ immemor remittat prorsus industriam, qua resurgere ad naturæ suæ dignitatem, & pristinos honores resarcire molitur, totum hominem *anime* nuncupatione condecorat, & nomine à nobiliori parte desumpto monet, ne in luto suo hæreat, neque, quam de cælo factam meminerit animam, eam stercorei mancipatam, æternisq; incendiis addictam interire patiatur. Quamvis id quoq; in *anime* voce observandum, quod requirere ea ipsa videatur Apostolus, ut non corporis tantum obsequium, sed animæ quoq; Magistratui accommodemus, ne mutila sit aut simulata obedientia, quæ non de corde sit profecta. Quæ ratione Col. III, 22. 23. servis præcipit, ne ἐν ὀφθαλμοδουλείῃ dominis obediant, sed quodcunq; faciunt, ἐκ ψυχῆς operentur, tanquam Domino & non hominibus. Atq; ita Thomas Aquinas b. l. *Utitur hoc modo loquendi, quia subjectionem debemus superioribus ex animo, id est, pura voluntate.*

§. 2. Quacunq; demum ratione Apostolus *anime* nuncupatione hominem designaverit, manifestum est, homines universim omnes, & sigillatim singulos præceptione ista Apostolica ad præstandam Magistratui observantiam obligari. Bellarminus *clericos* putat eximendos. Hinc lib. de Cler. c. XXVIII ad objectam hanc sibi sententiam; *Omnia anima potestatibus supereminentibus subiecta esto*, Respondet, quamvis jure divino sit omnia anima potestatibus sublimioribus subiecta, quia tamen clericos partim ipsi principes subjecerint in omnibus causis Episcopis suis, & postremo summus Pontifex clericos omnes exemerit à subiectione Principum secularium, sequi ut respectu clericorum non sint Principes superiores potestates, ac proinde non teneantur clerici principibus parere, neq; jure humano, neq; divino. Egregie sane. scilicet lita ex professo jus divinum jure Pontificio profligatur. Nam, quod de Principibus assert Bellarminus,

minus, qui subjecerint clericos in omnibus causis Episcopis suis, non negamus quidem, dedisse Principes Episcopis id honoris, ut clericorum suorum causas audirent, sed factum id est ad reverentiam Clericis apud plebem conciliandam, ne ad communia iudiciorum subsellia traherentur: Exinde autē non licet inferre, Episcopos & clericos non amplius esse subjectos principibus; sequeretur enim alias, Regem, qui iudices constituit in cognoscendis & dijudicandis Laicorum causis, principatu semetipsum abdicasse, ut deinde jus & potestatem de illorum negotiis cognoscendi, vel illis imperandi, nullam habere censendus sit.

§. 3. Veneranda Antiquitas certe in *omni Anima* Clericorum quoq; numeravit. Chrysostronus Homil. XXIII. in Epist. ad Rom. *Imperantur ista omnibus, etiam sacerdotibus & Monachis, non solum secularibus, id quod declarat, cum dicit; Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto: etiamsi Apostolus sis, etiamsi Evangelista, etiamsi Prophetas, sive quicumq; tandem fueris, neq; enim pietatem subvertit ista subiectio.* Ita quoq; apud Oecumenium Photius; *Omnem animam instruit, sive sacerdos sit quispiam, sive Monachus, sive Apostolus, ut magistratibus subdantur.* Et Theophylactus in *b. l. Universos erudit, s. Sacerdos sit ille, s. Monachus, s. Apostolus, ut se Principibus subdant.*

§. 4. Obnoxios esse Clericos Principum potestati, satis clare docet exemplum Christi tributum Cæsari solventis. *Matth. XVII.* Nec est, quod dilabi se velle putat Bellarminus dicendo, *Christum solvisse tributum, quia voluit, non quia debuit.* Non equidem negamus, Christum, si consideretur absolute, secundum quod natura & in seipso est, fuisse liberum à tributo; at si eum consideramus secundum dispensationem humilitatis & obedientiæ, quam lex voluntate Patris propter salutem nostram sponte suscepit, factus est sub

lege, nobis similis in omnibus, excepto peccato, & sic quem-
admodum debuit circumcidi, baptizari, mori, ita quoque
debuit tributum solvere. Distinctionem hanc confirmat
Hieronymus in Matth. XVII. *Tributa*, inquit, *quasi regum
filius non debebat, sed qui humilitatem carnis assumerat, debuit ad-
implere omnem justitiam.* At demus, Christum pro se sol-
viffe tributum, non quia debuit, sed quia voluit, certe quod
pro Petro solvit tributum, non alid fuit, quam quod pro se
debebat Petrus: ex quo evincitur, Petrum se non factum tan-
tum imperatori Romano, sed jure ac debito, Christo at-
testante, subjecisse. Idem faciat, qui se vicarium Christi &
Petri successorem mentitur, Papa Romanus.

S. 5. Paulus exemplum Magistri sui imitatus, impe-
rio Cæsaris sese submittit. Videns enim Judæorum calu-
mniis invidiosus sese onerari, nec posse citra destinam
injuriam ab illis judicari, beneficio juris utendum sibi censu-
it, & ad superiorem suum pariter ac illorum judicem causam
refert. *Ad tribunal*, inquit, *Cæsaris sto, ubi oportet me judicari.
Cæsarem appello.* Jam ad quem quis in causa sua secundum ra-
tionem juris appellat, eum extra omnem controversiam
superiorem se facit. Nec est quod Bellarminus regerat,
coactum fuisse Paulum appellare Cæsarem, oppressum calu-
mniis Judæorum & injustitia Præsidis Romani, qui solum
Cæsarem supremum judicem agnoscebant. Certe nun-
quam vir bonus nisi coactus litem facit, tantumq; aliena-
rum injuriarum importunitates, causas ad tribunalia dese-
rendo, propulsat. Accedit, quod DEUS appellationem
eam ratam habuit, qui misso angelo Paulum tempestate
periclitantem consolatur his verbis; *Ne metuas Paule, quia o-
portet te Cæsari sisti.* Quin & veteris Ecclesiæ consuetudo
fuit, semper servata juridica forma Cæsarem appellare;
quod

quod clarissime nos docet Athanasius *Apolog. ad Constant.* ubi ita Imperatorem alloquitur; *Si apud alios accusatus essem, ad tuam Majestatem provocarem, quemadmodum Apostolus dixit, Caesarem appello, & cessatum est ab insidiis contra eum: iam cum apud Te calumniam mihi ausi sunt intentare, ad quem à te, quaso, appellare potero, nisi ad Patrem ejus qui dicit, Ego sum Veritas?* *INX. 816*

§. 6. Vestigiis hifce insistentes Episcopi Romani tribus primis seculis suum erga Principes obsequium humillima officii recognitione, re ipsa testati sunt, quod docet purpurata & continuis conspersa sanguinibus illorum seculorum Historia, qua Episcopi Romani ad Sylvestrum fere usq; omnes continenter occisi, nunquam audita vocula de superioritate Pontificis Romani, omnia tolerarunt, neque saevissimos Tyrannos in Ecclesiam grassantes exuere dignitate ausi sunt. Certe non defuerunt illis vires temporales, ut vult Bellarminus *l. V. de Pont. Rom. c. 7.* Apertissime enim Tertullianus *Apolog. c. XXXVII.* *Vel una nox pauculis faculis largitatem ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret; sed absit ut aut igne humano vindicetur divina secta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim hostes extraneos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum; plures nimirum Mauri & Marcomanni ipsiq; Parthi, vel quantacumq; unius tamen loci & suorum finium gentes quam totius orbis? Externi sumus & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa; cui non bello idonei, non prompti fuissetus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere?* *conf. Augustinus l. XXII de Civ. D. c. 6.*

§. 7. Nec, postquam pax Ecclesiae data, quicquam de reverentia sua erga Principes remisisse Episcopi Romani videntur,


videntur, Leo Epist. VI *Præceptioni vestre*, scribit ad Casarem, in eo admittar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos presentia mee instar exhibeant. Et Epist. LVII ad Martian. Quia omnibus modis obediendum est pietati vestre religiosissimæq; voluntati liberis adjeci sententiam meam. Pelagius primus Epist. XVI ad Childebertum, Regem Francorum, filium Imperatoris Justiniani ita scribit, Quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium Confessionis vestre Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse Sanctæ Scripturæ præcipiunt. Gregorius lib. II Epist. 61. Imperatorem Mauritium vocat Dominum suum, seq; pietatis ejus indignum famulum quando, Omnipotentem, inquit, DEO reus est, qui serenissimis Dominis in omni, quod agit & loquitur, purus non est; ego autem indignus pietatis vestre famulus in hac suggestione neq; ut Episcopus, neq; ut servus jure Reipubl. sed iure privato loquar, quia, serenissime Domine, ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Anastasii secundi ad cognominem sibi Anastasium Imperatorem hæc feribendi ratio fuit; Pro fide catholica humilis tue pietati precator occurro. Nec aliter decebat. Colimus enim Christiani Imperatorem sic quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à DEO secundum, & quicquid est, à DEO consecutum, solo DEO minorem. Sic enim omnibus hominibus major est, dum solo vero DEO minor est, ut loquitur Tertullianus ad Scapul. Plura qui desiderat, consulat Rob. Abbot, primum Professore Regium in Academia Oxoniensi, post Sarisburiensem Episcopum in *Exercitat. hab. cont. Bellarm. & Swares. de suprema Potestate Regia.*



bus corpus & sanguis domini existat
contingat. Ita enim habent ver
III. c. 4. Quoniam Christus Redemptor n
specie panis offerrebat, vere esse dixit, i
clesia DEI fuit, idq; nunc denuo sancta h
secrationem panis & vini conversionem f
substantiam corporis Christi domini nos
in substantiam sanguinis ejus; que conve
à S. Catholica Ecclesia Transsubstantiat
II, qui ita habet; Si quis dixerit in Sa
manere substantiam panis & vini una
mini nostri JESU CHRISTI, negaveritq;
rem conversionem totius substantie panis
tia vini in sanguinem, manentibus duntaxat
quam quidem conversionem Catholica Ec
tiationem appellat, anathema sit.

§. 13. Hoc fulmine territum i
in eam cessit sententiam, quod vi
nis à ministro prolatorum, panis &
& sanguinem Christi substantialite
nentibus solis panis & vini acciden
gorius de Valentia l. II de Euch. c. I.
fert. Cathol. fid. p. 58. Jacob Payva Or
larmin. l. III de Euch. c. 18, 19. Costerus
nus Theol. Schol. part. III Tract. II c. 1.
Ægidius Coninck de Sacramentis,
Hodoget. qv. CCCXXXIV. Quanta vero
Doctores Pontificios sit dissensio, c
Wilhelmum Holderum in libro, c
exenteratus. Didacum Nugno Tom. I in
in Thom. fol. 892. Estium in IV sent. c.
Tom. IV Panst. Cathol. Chamier. c. VII, S.

the scale towards document



81
u ea existere
C. III sub Julio
ium, id quod sub
semper in Ec
clarat, per con
stantia panis in
substantia vini
nter & proprie
a. Conf. Can.
sacramento re
& sanguine do
lam & singula
torius substan
panis & vini,
e transsubstan

orum agmen
consecratio
erum corpus
ntur, reman
leantur Gre
s à Soto in af
lib. VII. Bel
c. VIII. Beca
l. II, c. 3, §. 9.
Pistorius in
dogma inter
re licet apud
fecit; Mus
Pesantium
plementum
§. 14.